





14611. DE
SYSTEMATE CONVENIENTIAE 19

SEV 1764 8

IVRE NATVRAE GENTIVMQVE MERCENARIO

EIVSQVE

ANTIQUITATE ET TURPITVDINE

ORATIO

PROFESSIONIS IVRIS NATVRAE ET GENTIVM
EXTRAORDINARIAE ADEVNDAE CAVSSA

CORAM

SPLENDIDISSIMA VENERANDORVM
ACADEMIAE PATRVM CIVIVMQVE GENERE ET
DOCTRINA PRAESTANTIVM CONCIONE
IN ACROATERIO MAIORE

NON. IVN. CIOIOCCCLXIII

RECITATA

AB

IOANNE AEGIDIO STRAVCH

FACVLT. PHILOSOPH. ASSESS. ORD. T. T. DECANO

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII
ACADEMIAE A TYPIS

D E
SYSTEMATE CONVENIENTIAE

S E V
IVRE NATVRAE GENTIVMOV MERGENARIQ
ANTIVITATE ET TYRITVDINE

O R A T I O

PROFESSIONIS IVRIS NATVRAE ET GENTIVM
EXTRAORDINARIAE ADEVNDAE CAVSSA

S P L E N D I D I S S I M A V E N E R A N D O R V M
ACADEMIAE PATVVM CIVIVMOV GENRE ET
DOCTRINA PAVSTATIVM CONCIONE

I N P A R T E T E R T I O M I N I O R E

N O M I N I V M C I V I C O G N I T I M

R E G I T A T A

I O A N N E A E G I D I O S T R A V C H

R A S S I E N S I S O R D I N I S A S S E S S O R I S D E C A N O

V I T E M E R G O R E

L I T T E R I S C A S P O L I C H R I S T I A N I D I R E C T O R I

A C A D E M I A E P A T V M

ILLVSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMOQVE DOMINO
DOMINO
IOANNI GOTTHELF
A GLOBIG
DYNASTAE ZEHISTAE ET DOBISCHKI
SERENISSIMI SAXONIAE PRINCIPIS ELECTORIS
AB INTERIORIBVS CONSILIIS ET PRAESIDI SENA
TVS IN SAXONIA S. SVMMI
MAECENATI LITERARVM OPTIMO
DOMINO SVO INDVLGENTISSIMO

L. M. Q

D. D. D

ONSEQVIO PERPETVO DEVINCTISSIMVS

A V T O R

ILLVSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMOQUE DOMINO
DOMINO
IOANNI GOTTHELF
A GLORIG
DYNASTAE ZEHSITAE ET DOBISCHKEI
SERENISSIMI SAXONIAE PRINCIPIS ELECTORIS
AB INTERIORIBVS CONSILII ET PRAESIDI SENATVS
IN SAXONIA S. SAMMI
MAECENATI LITERRARVM OPTIMO
DOMINO SVO INDVLGENTISSIMO


L. M. O.

D. D. D.

ESTIVS LITTEVS DEINCEPS

A V T O R





Sub patulae recubans Philyrae in genialibus aruis,

Quae pater irriguis permeat Albis aquis,

Non nisi sylvestri meditari carmen auena

Docta, nec altisonis apta, Camoena, modis!

Quo ruis? insolitosque animo quos concipis ausus,

ILLVSTREM digna tollere laude VIRVM?

Cuius sublimes exposcunt facta cothurnos,

Thebanasque fides, Maeoniamque tubam:

*Immo cui dignos nunquam ipse disertus honores
Redderet Aonii praefes Apollo chori:*

*Stemmata qui longo quantumvis clarus auorum
Clavior est meriti nobilitate Sui.*

Verbo, quem rerum columenque, decusque, suarum

*Non tantum ore vno Terra paterna vocat;
Verum etiam externis cuius celebrantur in oris
Egregiae dotes cordis et ingenii.*

*Obe, siste gradum, temeraria Musa, tuisque
Impar ne tentes viribus istud opus!*

*Nec pete Daedaleis nimium sublimia pennis,
Ex alto casu ne grauiore ruas!*

*Linque aliis, quibus ingenii vis maior, et ipso
Contigit e docto fonte leuare sitim,*

Singula commemorare VIRI praeconia SUMMI

A summis tantum commemoranda viris!

Altarumque Eius de virtutum agmine toto

Vnius tantum te meminisse iunet

Qua

Qua sine multorum caligine tecta sepulcri
Dudum fama toga parata, sagoque, foret!
Insignem illum, inquam, quo suffulcire fauorem
Artes usque fuit suetus Apollineas,
Pieridum a tenero Ipse sacris nutritus in antris,
Doctrina et pollens Ipsemet omnigena:
Scilicet hoc unum potis est, quod pectore versas,
Proposito veniam conciliare tuo.
Solue metus igitur, VENERANDI et PRAESVLIS ante
Conspectum laeta fronte, Thalia, veni!
Submissequae roga, exigui tibi nomine magno
Permittat frontem condecorare libri!
Sique nitor nullus linguae reperitur in illo,
Nullum commendat mentis acumen eum,
Quae rigidi possint studiis placuisse magistri,
Et decore et pretio si tua dona carent;
Hac ipsa ingenii sat debilitate Patroni
Tutela et cura temet egere probas,

Sub

Sub cuius sperare tibi incrementa benignis
Auspiciis solis uberiora licet:
Languentem crebro melior clementia coeli
Sola velut plantam sustinuisse valet.
Hac igitur spe freta, aura hac tibi flante secunda,
Pieri, ne dubita credere vela salo!
Votorumque dehinc tam celso thure Patrono
Tota sit ambitio rite litare tibi.
Ingenuas diu adhuc foueat, suffulciat artes,
Virtutis sit adhuc portus et ara diu!
Robore consilii per longos utilis annos
Rebus adhuc Patriae sit Patriaeque Patris!
Prima diu duret nostri aeui gloria, eique
Inuideant TANTVM secla futura VIRVM.



Nemo, qui literas post emendationem sacrorum feliciter restitutas nouit, infitias ire poterit, scientiam, quae in explicandis ac probandis legibus naturalibus occupatur, in luce fuisse literarum splendidiore collocatam. Depulsa enim Scholasticorum barbarie, merita Pythagorae, Socratis, Platonis, Aristotelis, atque e porticu Ciceronis et Senecae de hac praeclara disciplina rursus in scenam producebantur, horumque sapientum egregia Iuris Naturalis praecepta in ore et scriptis tam Iurisconsultorum, quam Philosophorum diligenter versabantur. Haec erat noua scientiae nostrae reuiuiscens facies. Multum quidem illi ad peculiarem disciplinae formam adhaec deerat, sed dignitas eius admirabilis utilitasque laetissime fusa industriam literatissimorum hominum insequentibus temporibus adeo acuebant atque augebant, ut officiis naturalibus in artis formulam redigendis omnem, pro sua quisque ingenii facultate, nauarent operam. Quae enim Hemmingius Hafnien-

A

fis, Gentilis Italus, Wincklerus Lubecensis, alii, primoribus
 quasi labris gustauerant, Grotius deinceps, Pufendorfius atque
 Thomafius pleno ore hauserunt, suisque copiis posteritatis
 omnis fitim leuarunt. Horum studiis erga naturalem Iuris-
 prudentiam eximiis excitabantur Seldenus, Hobbefius, Cocce-
 ius, Buddeus, Ridigerus, Gribnerus, Rechenbergius, Gund-
 lingius, Wernherus, Weidlerus, Glafeius, Heineccius, Vatte-
 lius, Achenwallus, ac plures alii, quibus omnibus celeberrimus
 nouae familiae conditor Perilluftris Wolfius diligentiam
 non concessit, sed ordine ac robore demonstrandi iuris natura-
 lis praeceptiones cunctos superauit.^{a)} Tanto maiorem vero
 laudem omnes sunt promeriti, qui ingenii sui vires in expla-
 nandis atque demonstrandis huius scientiae doctrinis consumse-
 runt, quo spectatior est illius dignitas, quo insignior merito
 censetur vtilitas.

Ac dignitatem quidem iurisprudentiae naturalis ad-
 mirabilem satis superque decreta huius disciplinae confir-
 mant, cum aliis praesertim scientiis comparatae. Leges enim
 exponit non fortuitas atque mutabiles, sed necessarias atque
 immutabiles. Quotquot in ciuitatibus vnquam latae vigere
 leges, harum vigor ex arbitrio Principum semper pependit.

At
^{a)} Nihil hic plenius historia Iuris naturae Schmaufiana, Systematis eius nouo praefulta. Quamuis enim liber ipse, naturalis iuris disciplinam complexus, publica fit animaduersione notatus, tamen narrationes factorum huius partis philosophiae tantum lectionis, quantum iudicii, praeseferunt.

At vero leges, quae in ipsa hominis rerumque huius vniuersi natura rationem habent, non possunt, salua rationis praestantia, eadem non permanere, sicut naturae omnium rerum creaturarum commutari nunquam possunt. Leges, quas Ius Naturae complectitur, sunt aeternae, siquidem Deus autor sapientissimus illas iam ante creationem huius vniuersi in aeterno suo consilio decreuit; quum leges humanae cunctae cum ciuitatibus demum ortae sunt. Leges naturales etiam ad omnes actiones liberas, sicut ad omnes homines, pertinent. Actiones enim, siue per suam naturam, siue per rationes externas bonae sint, iubent, prout malas sine discrimine vetant. Tantum vero abest, vt leges ciuiles cunctis ciuium actionibus moralibus dirigendis ac sancendis sufficere queant, vt externas modo ciuium actiones mediasque ad decus vtilitatemque reipublicae referre atque componere debeant. Nemo mortalium, ne Principibus quidem populorum exceptis, vinculo legum naturalium soluere se potest, quia illae, neque aetatem, neque fortunam, neque dignitatem hominis respiciunt, solo homine contentae. Principes quidem legibus, quas dederunt ciuibus, conuenienter agere decet, nisi perniciosam exempli imitationem suae potestati subiectis prodere velint: ab aliorum tamen potestate liberi, rationem, cur sua ipsi placita migrent, reddere non coguntur. Leges denique, quas Deus hominum animis inscripsit, ab hoc ipso cum natura sunt conditae, in eiusque naturae cursu firmatae. Fundamentum enim earum



in ipsa hominis aliarumque rerum creaturarum indole reperitur, ac totius naturae ordo cum illis ita semper conspirat, ut observatio earum homini perpetuo profit, violatio gravissime noceat. Leges autem humanae prudenti consultatione Principum reperiuntur, ac satis est, si ratio earum salutem reipublicae attingat, ut taceam, praemia et poenas legibus quidem civibus adhaerere, sed non semper exerceri, neque exerceri posse. In hoc igitur excellens spectatur legum naturalium praestantia, quas non homines, sed ipse Deus ab aeterno fixit, quae non ad tempus, sed perpetuo durant, quae, sicut ipsa rerum natura, nunquam mutari possunt, quae denique omnes mortales, civis non magis quam imperantes, ad officium redigere debent. Num igitur scientiae, quae in harum legum interpretatione versatur, iustum, quod meretur, verbis constituere licet premium? Quum Cicero philosophiam laudibus celebrare instituit, matrem vocat omnium artium, donum et inventum deorum, matrem omnium benefactorum beneque dictorum, procreatricem omnium artium laudandarum, et quasi parentem; nihilo tamen fecius confiteri cogitur, philosophiam satis digne nunquam laudari posse. Id mihi praesertim de iuris naturalis scientia pronuntiandum videtur, quae vera est philosophia vitae, ab summis ingeniis omnium temporum culta.

Quodsi nullae utilitates ex hac praestantissima scientia in reliquas disciplinas redundarent: illa tamen propter se ipsam expectanda atque colenda esset. At enim vero quis istud in dubitationem addu-

adducere poterit, nisi ignoracionem ambitus nostrae scientiae proderet velit. Equidem mihi certo semper persuasi, Theologum aequae ac Iurisperitum, immo omnes, qui literis, ad humanitatem spectantibus, nauent operam, accurata iuris naturalis notitia neuitquam carere posse. Si gratuissimas iurisprudentiae diuinae doctrinas consideramus, quantum earum explicatio accuratori iuris naturalis intelligentia iuuetur atque amplificetur, optimo ac fere vnico, Viri in republica sacra immortale nomen consecuti, b. Moshemii exemplo vidimus, cuius praestantissimum Opus, de moribus vitae Christianae conscriptum, quis nostram ignorat? Ne dicam principia Iurisprudentiae naturalis bono sacrarum literarum interpreti scitu quam maxime esse necessaria, si potissimum effatis diuinis, ab auditoribus suis facta vel iuste redarguere, vel recte comprobare velit. Nouimus autem ex memoria rerum gestarum seculi decimi sexti grauissimam litem, quae de iure Principum Germaniae, libertatem euangelicam ab Imperatore armis defendendi, inter Theologos atque Iurisconsultos occasione belli Smalcaldici orta atque agitata fuit. Nihil aliud, nisi minus cauta oraculi Paullini de obsequio seruorum erga morosos dominos difficilesque accommodatio, huic certamini ansam praebuerat, sed doctrina iuris naturalis de pactis mox illi finem imposuit. ^{b)} Pergo ad

A 3

vsu

^{b)} Glafcius, vbi de naturalis iuris vilitate disputat, hanc causam latius amplificauit. Addimus e

bello nouissimo aliam non minoris rem, sitne iusiurandum fidei inuafori praestandum, de qua rerum doctores



vsum huius scientiae, in scholis et foro Iurisconsultorum
 omnino multo frequentiore, quia omnis aequitas leges ciui-
 les interpretandi, atque ad facta applicandi, cerebrina exce-
 pta, Iure Naturae continetur. Hinc ipse Imperator Iustinianus
 Ius Ciuile collectum fatetur ex praeceptis naturalibus, gentium
 atque ciuilibus. Quoties principia Iurisprudentiae naturalis in
 subsidium vocare necessitas postulat, vel deficiente concepta le-
 gis ciuilibus sanctione, vel ad leges ciuiles ipsas inter sese con-
 ciliandas, vel ad acerbiteriam earum in casibus certis temperan-
 dam, vt taceam, imperantium facta sine iuris publici vniuersi
 subsidio nunquam diiudicari commode posse? Quod postre-
 mum duumviri iuris disciplina florentissimi, Obrechtus de ab-
 dicatione imperii a Carolo V. facta, et Gribnerus de contro-
 uersis circa vicariatum, peculiaribus scriptis satis comproba-
 tum dederunt. Tempus vero mihi non permittit, vel in lau-
 des clarissimorum virorum excurrere, qui studium Iuris tam
 ciuilibus quam publici cum disciplina iuris naturalis, doctissimis
 literarum monumentis, ad felicissimam aliorum imitationem con-
 iunxerunt, vel nexum ceterarum latissimae Iuris scientiae par-
 tium cum Iure Naturae archissimum vberius persequi. Restat,
 vt de vtilitate scientiae nostrae, quam reliquae omnes disci-
 plinae elegantiores reportant, pauca commemorem. Praesentio
 autem
 doctores diuinarum in partes con- ceptauit, vt parum serupuli relin-
 trarias secesserant. Sed Grotius queretur.
 iam de I. B. et P. I. 4. 5. eam sic dif-

autem Vestrum omnium assensum, si lectionem veterum tam Graeciae, quam Latii autorum, ignoratione iurisprudentiae naturalis non impediri modo, sed etiam praecipuo fructu spoliari censuero. Vnum Ciceronem instar omnium nominabo. Quis abstrusos sententiarum recessus, in praestantissimo de officiis monumento aliisque consimilibus, sine hac clauae, vt ita dicam, aperire poterit? Quae commoda iurisprudentiae naturalis amplissima quemlibet in Musarum consortium receptum monere possunt, vt a primis studiorum suorum iniuiis saniora huius scientiae praecepta addiscere probe labore. Quod consilium tanto magis videtur necessarium, quia nostra memoratorum Ius Naturae in Politicam Machiauellicam, quamuis per speciem refellatur, proh! dolor conuertitur. Sed tales scientiae nostrae calumniae studium melioris status, natura quidem nobis insitum, peruersa ratione contorquent, non aliorum saluti, sed suae tantum inferuientes vtilitati. Quo autem propius iste error pestilentissimus commune ac primum omnium officiorum principium attingit: eo maiori studio a fructuosissima iuris naturalis scientia est remouendus.

Cum igitur mihi hodierna luce, in gratiam muneris munificentissime mihi concrediti, uerba publice sint facienda, officio meo satis conuenire arbitror, si dicere instituum, quid de *Systemate*, quod vocant *Conuenientiae*, seu iure naturae gentiumque mercenario statuendum sit. Equidem vellem tantam eloquentiae facultatem huc attulisse, quanta Vestris, Auditores, auribus digna,



ac grauitati argumenti, de quo differam, fatis apta censerī possit. Sed quādo id minus a me, tam eximiis ingenii viribus haud instructo, sperandum est, Vobis quidem certe, Auditores, haud ingratum, vt opinor, erit, ex iis, quae pro virium mediocritate pronuntiauerō, non solum antiquitatem, sed et turpitudinem *Systematis Conuenientiae* mecum commentari. Dabitis igitur mihi veniam tantum de vtroque rei momento differendi, quantum memoria rerum ab antiquissimis inde temporibus gestarum mihi suppeditabit, quantum natura conditioque rei ipsius in mentem reuocabit, quantum iusta indignatio sententiae, quae vtilitatem ab honestate seiungit, postulabit. Multum autem beneficii mihi tribuetis, si Vestra aequitate atque beneuolentia, vbicunque defecero, subueniatis.

Itaque meas in se iamiam conuertit cogitationes *Systema*, quod vocant *Conuenientiae*, de quo primum mihi erit declarandum, quid per illud intelligatur, quo facilius latebras eius reconditas peruestigemus. Callide enim malitiam tegunt huius disciplinae fautores ambiguitate verbi, quod, quicquid aptum est homini consentaneumque, complectitur, siue cum virtute fuerit coniunctum, siue nos deceat, siue fortunis nostris proficit. Sed haec dilacerant illi, qui, sicut Gallorum sermonem linguis praeferrunt aliis, ita consuetudinem loquendi Gallicam tantum sequuntur, quantum moribus horum exterorum delectantur. Quod peregrinitatis studium si tenuerimus, facile, quo pertineant haec consilia, pernoscemus. In quocunque enim deli-

berat

berat *Systema Conuenientiae*, vt, quid agendum sit, quid omittendum videat, illud omne ad vtilitatis speciem refert. Quicquid facit, eo dirigit, vt commoda augeat externa. Non quaerit, quid naturae hominis, ad societatem nati factique, conferat, sed, quid expediat sibi. Nihil laborat, quid gentium libertas, quid pactorum sanctitas, quid longi vsus obseruantia requirat, sed, quid regiones faciat, quid opes cumulet, quid potentiam firmet suam, frangat alienam. Breui, si violandum est ius, sua causa violandum, fructibus suis, ceteris in rebus pieras colenda. ^{c)} O foedissimam actionum humanarum normam! Breuis quidem est haec doctrina morum, vna voce vtilitatis comprehensa, sed tanto detestabilior, quia iniusta iustis, turpia honestis, indecora decoris miscet.

Nihilo tamen fecius ista erronea atque iniqua cupiditas lucri mores hominum per omnem aetatis memoriam infecit atque deprauauit. Si mores veterum Persarum contemplamur, illos eadem labe corruptos deprehendimus. Quapropter Isocrates, regem Philippum ad bellum Persis inferendum cohortans, hunc populum iuste vituperat, vtpote qui neque inimicitiarum, neque iurisiurandi,

neque

^{c)} Commemorabilis est hic locus Ciceronis de Offic. III. c. 21. vbi in Caesarem inuehitur, omnia recta et honesta negligentem, dummodo potentiam consequeretur. Hunc, testatur, Euripidis versus

semper in ore habuisse, et sic citatur, vt Euripidem ipsum deuocueat, non Eteoclem modo, quamuis poeta e persona tyranni aliter sentire non potuerit.

B

que vilius alterius rei rationem ducat, nisi quid sibi profuturum putet, hocque solum Persas amplecti, in eoque adipiscendo esse conseruando nihil non facere, consuetis eorum factis regi comprobatur. De Graecis luculentissimum est Ciceronis testimonium, in literis ad Quintum Fratrem commemorantis ^{d)}: Vias pecuniae norunt Graeci, et omnia pecuniae causa faciunt. Quantum apud illos studium vilitatis suae ad bella cum aliis gentibus suscipienda valuerit, exemplo Atheniensium videre licet. Quum enim hi, teste Thucydide, Euphemum ad Camarinos in Siciliam mittunt, ut hos a partibus Syracusanorum reuocet, omnem consilii sui rationem Camarinis ita probare atque excusare volunt, ut Euphemum eos hanc in sententiam compellere iubeant: Regi aut civitati imperium habenti nihil est iniustum, quod cum vtilitate eius conspiret. ^{e)} Quam inhonestum erat Themistoclis consilium, classem Lacedaemoniorum, ad Gytheum subductam, clam incendio delendi, propterea quod opes Lacedaemoniorum ita frangi necesse erat. Hinc Cicero laudat Aristidem, hoc consilium, licet Atheniensibus perutile fuerit, non securum. ^{f)} Inprimis vero apud Romanos tota rei

^{d)} L. I. ep. I.

ἐχέσθη, ἀδὲν ἄλογον, ὅ, τι ξυμφέρον.

^{e)} Quoniam hoc testimonium classicum puto, ipsis Thucydidis verbis repetam Hist. VI. 85. αἰνδοὶ τυράννων, ἢ πόλεις ἀεχλήν

^{f)} Lege Ciceronem de Offic. III. 11. ubi plura cumulauit exempla vtilitatis, vel publicae, spretae prae honestate.

rei militaris ratio *Systemate Conuenientiae* nitebatur, quibus, Vellejo autore, nihil quicquam visum fuit turpe, quod esset quaestuofum. ^{s)} Hinc Mithridates rex Ponti Arsacem, Parthorum regem, ad foedus contra Romanos ineundum, permouere cupiens, literis ad eum datis, rationem addit; Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis ynam et veterem causam bellandi esse, cupidinem profundam imperii et diuitiarum. ^{h)} Haec insatiabilis opum auiditas Romanos ad Creticum bellum inflammauit, ipso Floro candido id testimonio confirmante, qui, Creticum, inquit, ⁱ⁾ bellum, si vera volumus noscere, nos fecimus sola vincendi nobilem insulam cupiditate. Vti igitur Romanis gens aliqua videbatur opulentissima: ita hostes illius se profitebantur. Hoc erat Caesaris *Systema Conuenientiae*, secundum quod bella gerere consuevit, & de quo Lucanus grauitur iudicat: Discere opes Caesarem spoliati mundi perdere, et gessisse pudere cum genero bellum paupere, id- eoque causas Martis cum gentibus Phariis optare. Quae testimonia cuncta, ex veterum monumentis collecta, nos satis edocent, vilitatem apud profanas gentes olim iam praeualuisse iustitiae,

B 2

^{s)} Carthaginem saltem, Histor. I. 12. magis inuidia imperii, quam illius eius temporis noxiae, inuisam Romano nomini, funditus sublaram censet.

^{h)} Reperiuntur haec literae in

fragmentis Historiae Sallustii IV. ineunte. Atque hinc explicabis, cur Mithridates idem, apud Iustinum XXXVIII. 6. Romanis luporum animos attribuat.

ⁱ⁾ L. III. c. 7.



ac dudum Imperantium animis infedisse opinionem, quam idem vates merito notauit: Vt terra sidera distent, vt flamma mari, sic recto vile. Sceptorum vim totam perire, si iusta pendere incipiat, euertatque arces honesti respectus. Vtinam hoc flagitium dominationis in aulis Principum Christianorum nunquam receptum esset atque approbatum! Vtinam ciuilibus euerforem prudentiae Florentia nunquam protulisset, qui sceleratissima Principum facinora, Ianienis Parisiensibus ac Vesperis Siculis similia laudat, qui iura Principibus negat esse nata, omnemque crudelitatem armis eorum concedit, vt fines modo imperii dilatentur. Quantum se haec versuta Machiaueli praecepta statim insequentibus eum temporibus in animos insinuarint principales, ex allocutione Ioannis Moruillerii ad regem Galliae, a Thuano ^{k)} literis consignata, satis manifestum fit. Quum enim vir ille, dignitate atque prudentia conspicuus, sententiam suam de bello Hispanis inferendo dicere iuberetur, regem his verbis affari non est veritus: Bellum hoc iustum necessariumue sit nec ne, disputando non multum immorabor; quod ridiculum plerisque videatur, Principes et alios, qui rempublicam tractent, quique ius vtilitate et occasione metiri soleant, ad has scrupulosas quaestiones haesitare. Neque recentiori ac recentissima aetate hoc *Systema Conuenientiae* consilii Principum esse alienum, tristissima belli superioris memoria satis euincit, cuius vulnera nolo refricare, cum diuina prudentia

^{k)} LL. p. 6.

uidentia sensim confanescunt. Quamuis autem haec iniusta fatalis publicae procuratio inde ab origine imperiorum vsque ad nostra tempora fuerit propagata, quamuis auaritia vno verbo, quo vitio Tullius nullum praesertim in principibus rempublicam gubernantibus retrius recte iudicat, animos hominum semper inuaserit: nihil tamen praesidii antiquitas *Systemati Conuenientiae* conciliare potest, quia mores et actiones hominum non a temporis vetustate, vel nouitate, sed a lege normam suam accipiunt. Nihil igitur moremur exempla, quibus viuere non licet, *Systematis* potius *Conuenientiae* causas, remedia atque effecta accuratius inuestigemus, vt turpitude, qua commaculatur, tanto luculentior nobis appareat.

Si primo inquirimus, Auditores, in fundamentum huius aedificii speciosi, illud in separatione vtilitatis ab honestate proxime quaerendum esse, animaduertimus. Quisquis enim omnes actiones suas ad vtilitatem suam dirigere studet, ille non potest non honestatis reuerentiam parui floccique facere, ac saepe prorsus illam negligere cogitur. Nemini quidem studium vtilitatis suae vitio verti potest, quia ipsa natura, quae amorem sui suadet, ad illud compellitur. Siquis vero normam atque finem actionum suarum in amplificatione sui commodi tantum ponit, ille vituperandus tanto magis est, quod minus ad legem iusti atque honesti facta sua examinat, sed satis ei est, haec ipsi aut magnam, aut saltem aliquam vtilitatem promittere, licet nondum



certo praescire possit, num illa vere sibi profutura, an specie utilitatis ipsum sint deceptura. Quod enim honestum non est, sapienter Cicero, id vile ut sit, effici negat posse, aduersante et repugnante natura. Quod autem homo, cupiditate lucrandi totus flagrans, non ponderat, sceleribus saepe grauissimis se committit, ut commoda aliorum ad se transferre queat. Quid igitur turpius, quid foedius eiusmodi hominis animo, consiliis, actionibus cogitare licet? Meditatur iste latro ¹⁾ gentium dies noctesque suam utilitatem, aliorum commodis infidiatur, et, quicquid vel sponte, vel monente officio peragit, illud debet opibus ac fortunis eius locuplerandis conuenire. Num ab illo actiones honestae, studio dataque opera susceptae, vnquam expectari possunt? qui vile honesto semper praefert, atque honestatem negligit, ut consequi suam possit utilitatem. Cui nihil satis, bene sentit apud Aelianum Timotheus, nihil etiam eidem turpe. Quapropter *Systema Conuenientiae*, licet magna impudentia de illo nostra aetate glorientur, merito turpissimum et execratione solemnium omnino dignum censendum est, qua Socrates iam, commemorante Tullio, notauit eos, qui honestatem atque utilitatem, utpote res natura cohaerentes, opinione primum distraherint. Quum igitur separatio utilitatis ab honestate pri-

¹⁾ Quantum nominis sui magnitudine vulgus percellit Alexander iste Magnus, tantum sapientes offendit, quorum iudicia capias e
 praestantissima Senecae hanc in sententiam epistola 94. ubi cum Macedone Caesarem confert.

mam huic Systemati originem praebeat, facta eidem consentanea ab omni honestate discedant necesse est.

Hoc extra omnem dubitationem ponet consideratio remediorum, quae ad hoc Systema prosequendum adhiberi solent. Sunt illa fraus, dolus, peieratio, perurium, immo rapacissima vis in subsidium astutiae vocata, et quae sunt alia consilia nequissima, facinora turpissima. Abhorret animus honestus ab his nefandis moribus, quia officiis naturalibus manifesto repugnant, sed *Systemati Convenientiae* deditis admodum isti placent, quia sine his fines utilitatis suae fordidae impetrare nequeunt. Neque est, quod haec praesidia malitiae nimis a me videantur exaggerata, siquidem ratio huius Systematis talia necessario postulat. Omnia enim commoda ad se raperè cupiens, alios non potest non maximo detrimento adficere. Hoc vero vel occulta, vel manifesta ratione efficere studet, quia nemo sponte sua commoda alteri tradit deutoranda. Si igitur alter potentia plus valet, variis ad hunc prauissimum finem consequendum vitur artibus, nec fidem iuratum interponere omittit, licet, illam seruare, nunquam in animo habuerit. Linguam enim, non mentem iurasse deinceps iocatur, aut formulam iurandi calumniatur, aut posteritatis iura regnique praetexit, de quibus ipse detrahere nequeat. Sacramentis enim ludit, ut pueri talis. Sin alter inferior atque impotentior ipso est, bonorum, quae iusto ac legitimo modo, et saepius multo cum sudore ille sibi parauit, violenta manu potitur.



potitur. Hac duplici via incedunt omnes, qui secundum *Systema Conuenientiae* actiones suas vniuersas ad propriam vtilitatem dirigunt. Aliorum enim commoda iniquo infestoque animo semper intuentur, nec prius conquiescunt, quam illa aut astutia, aut vi ad se attraxerint. Iisdem moribus magnus ille veterator Lyfander Lacedaemoniorum dux, quem Plutarchus, cum Callicratida componens, vile recto semper anteposuisse refert, irridebat eos, qui turpe ducerent, Herculis progeniem in bello adhibere dolum. Vbi enim vim leonis vsurpare non poterat, ibi fraudem vulpeculae in subsidium vocandam esse purabat. Memoria quoque omnis fere aevi nobis Principes sistit, qui sua potentia in gerendis bellis adeo sunt abusi, vt crudelitates omnis humanitatis expertes in terris hostium exercere non erubescerent, quo locupletiores opimis belli praedis gazas suas reddere possent. Vere in eiusmodi bellatores cadit, de quo Seneca iam suo tempore conquestus est, propter pecuniam, scribens, reges faeuunt rapiuntque, et ciuitates longo seculorum labore constructas euertunt, vt aurum argentumque in cinere urbium scrutentur. Ex his cognoscite, Auditores, quam nefariis subsidiis *Systema Conuenientiae* iuuetur atque perficiatur. Num igitur ipsum illud a turpitudinis crimine liberari poterit?

Nobis potius, pestiferis illius effectis postremo pensatis, tanto detestabilius in oculos incurret. Nulla enim iam execranda pestis est, quae non vniuersae societati huma-

nae

nae ab hoc Systemate nascatur, vt taceam, singulos, secundum illud agentes, maximam sibi parare perniciem. Constat, hominum confociationem mutuis niti, coli, et conferuari officii, quorum summa eo redeat, vt alter alterius salutem pro viribus tueatur atque amplificet. Quantum vero haec absunt a consiliis et studiis hominis, omnia suae vtilitatis causa peragentis? Comoda aliorum magni quidem aestimat, sed tantummodo hanc ob causam, quia illa ad se trahere cupit. Num talis homo, lupis rapacior, dignus est, qui cum aliis in societate viuat? Utinam hoc genus omne pestiferum atque impium ex hominum communitate exterminari possit! Membra enim sunt communis humanitatis corpori nocentissima. Plenius hanc similitudinem persecutus est Cicero, cuius verbis, quam meis, vt praestat. Vt, si vnumquodque membrum sensum hunc haberet, vt posse putaret se valere, si proximi membri valetudinem ad se traduxisset, debilitari et interiire totum corpus necesse est: sic, si vnusquisque nostrum rapiat ad se comoda aliorum, detrahatque, quod cuique possit, emolumenti sui gratia, societas hominum et communitas euertatur necesse est. ^{m)}

Forfan

^{m)} de Officiis III. 5. Elegans Eadem Paullus vitur pulcherrime profecto similitudo, qua Menenius ad sedandam discordiam I Cor. XII. Agrippa plebis secessionem ad officium reuocauit, apud Liuium II. 32. 15. sqq.

Forſan autem *Systema Conuenientiae*, licet ſocietati hominum ſit pernicioſiſſimum, cultores ſuos reddet beatiſſimos, quia omnis, vel minima, actio illis utilitatem adferre debet. Reſpondeat Seneca, prudens officiorum praeceptor. Non poteſt, ait ille, quiſquam beate degere, qui ſe tantum intuetur, qui omnia ad utilitates ſuas conuertit; alteri viuas oportet, ſi vis tibi viuere. Veriſſime haec dici, cognoviſcimus ſtatim, quia homo, cuiuſcunq; dignitatis et conditionis ſit, hominis ope indiget. Quis vero agere cupiet cum illo, qui omnia ad utilitatem ſuam refert. Hinc priuant ſe ipſi tales homines amore et ſtudiis aliorum, omnemque exiſtimationem cito apud honeſtos viros amittunt. O iacturam vero grauiſſimam, quam iniuri faciunt omnes, qui ſecundum turpiſſimum *Systema Conuenientiae* ſibi ſolis prodeſſe ſtudent! Quid denique dicam de effectis huius Systematis periculoſiſſimis, quando Principes ſecundum illud imperii ſui adminiſtrationem inſtituunt? Tales imperantes quaerſtui modo habent rempublicam, nec ciues, ſed ciuium opes, multo ſudore partas, amant, praeter ius atque aequitatem illas in gazas ſuas comportantes. Sublato enim in ciues amore, tolluntur clementia, iuſtitia, miſericordia, nunquam avaritiae comites. Quamvis igitur ciues eo viuant tempore, quo rebus ſuis tranquille vti ac perfrui ipſis contingit, nec ſibi ab hoſtium inhiante auiditate ſit me-

tuen-


tuendum: bona tamen sua non tenent, quia principi praemia laborum cuncta permittere coguntur. Adeo funestum est ciuium saluti imperium Principis, auare, seu more dicendi magis consueto, prout *Systema Conuenientiae* requirit, ad gubernacula sedentis. Quemadmodum vero eiusmodi Imperans maximam calamitatem suae potestati subiectis affert: ita etiam vicinis regionibus ac populis, tam in pace, quam in bello, metuendus est. Princeps enim omnia sua utilitate metiens ad iura belli et pacis peruertenda paratissimus est, irridens cum Antigono, Alexandri Magni praefecto, illos, qui ipsi, alienas vrbes oppugnanti, commentarium de iustitia afferant. Neque tamen ipse, talis gubernator populi, expers damni est putandus. Autoritas enim eius atque maiestas sensim sensimque apud ciues, qui patri patriae, non tyranno, obsequi cupiunt, imminuitur, ac tandem penitus euanescit. Quodsi amorem ciuium, maximum regni firmamentum, perdit, insidias periculosissimas ab illis timere cogitur. Exhaustis tandem ciuium opibus, totum regnum in ruinam deiicit. Aliae vero gentes eius societatem fugiunt, existimationemque seruant, donec eius opes extimescunt, tempus aucupantes, quo possint praedonem e medio tollere, sicut ipse gladiatorio animo ipsos aggreditur, vel perditurus, vel periturus. Quid ergo longius a persona Principis, imaginem diuinae maiestatis

his in terris prae se ferentis, abesse debet, quam nefarium *Systema Conuenientiae*, quod turpissima quaeuis in republica efficit?

Haec sunt tria argumentorum capita, ex quibus turpitudine huius Systematis potissimum declaranda mihi visa fuit. Quaecunque praescriptione iusta, vel honesta hoc Systema tegere audeant homines, suorum commodorum auidissimi, nihil tamen apud alios efficient, qui honestis delectantur actionibus, aliorumque felicitatem non minori cura, ac suam, tutari atque ornare student. Hoc enim spectant, hoc volunt leges naturae, quibus officia, erga nos et alios sancte colenda, continentur. Has vero leges violare, nefas semper putemus, quia impie illas deserens, hominem ex homine exiit. Dotibus nostris conseruandis atque augendis omnem nauabimus operam, sed absit a nobis quam longissime, ut aliorum obliuiscamur, aut cum detrimento eorum nostra quaeramus commoda. Hoc enim conuenit moribus spurcissimi hominum generis, qui omnes actiones suas ad propriam utilitatem accommodant. Si quod tempus est, quo ex aliorum luctu quaestum capiunt, bella captant, bellorum licentia purgant immanitatem, belli rationem semper in ore habent. Osi diuinum pacis munus mores hominum emendet, ne inhumanum vitium, alios commodis defraudandi, publicam salutem


litem amplius in discrimen adducat! Numen vero diuinum, quod omnia nutu suo sapientissimo moderatur et regit, corda Regum ac Principum in salutem ciuium suorum semper inclinet, ac consilia eorum a turpissimo *Systemate Conuenientiae* longissime deducat, vt aurea Iustiniani verba diligenter recordentur: Quod communiter omnibus prodest, hoc priuatae vilitati nostrae praefendum esse, censemus, nostrum esse proprium subiectorum commodum imperialiter existimantes.

Sic scepra tenuit, delictum populi sui, REX gloriofissimae semper memoriae, in quem pietatis deuotissimae officio nunc defungar, quo singularis gratia INDVLGENTISSIMI quondam PRINCIPIS NOSTRI ELECTORIS FRIDERICI AVGVSTI me obstrinxit. REX in vtraque fortuna maxime, hodierno quoque die TVVM colimus nomen ac veneramur, neque vnquam TVAE paternae curae, qua literarum salutem semper complexus es, memoria morietur in animis nostris. Posteris proponemus sancte suspicienda splendida gratiae TVAE, nostras etiam in Musas effusae, munera. Colam praepremis ego, atque desigam in pectore meo sensum REGIAE TVAE MVNIFICENTIAE, quae ad dignitatem muneris, quo fungor, me produxit. Quoties mihi in posterum de summam potestatis vsu recto, de summorum officii imperantium



rium praecipendi in prouincia, abs TE mihi imposta, materia dabitur, toties TE exemplum liberalitatis, amoris in ciues, placabilitatis aliarumque virtutum popularium, illustrius aliorum triumphis, edam, toties terram TIBI leuem precabor. Hanc enim solam gratiam potero meritis TVIS habere, de quibus aetas nulla conticescet. Quum vero, Audito res, hoc AVGVSTISSIMO PATRIAE PATRE nos orbare sapientissimo Numini placuerit, ac breui post filium, paterni decoris aemulum, acerba morte eripere, eidem Deo immortalis supplicabimus, vt GENTEM SAXONVM DOMINAM aduersus incertos ac funestos in posterum praemuniat casus, nouisque semper gratiae suae monumentis firmata felicitate, quantam mortalitas capiat, perpetuo florere iubeat. Viuas praesertim TV, PARENS fortunae nostrae nunc MITISSIME, PRINCEPS ELECTOR SERENISSIME, FRIDERICE AVGVSTE, valetudine semper prosperrima, atque ad Saxonum TVORVM salutem feliciter adolescas, quorum spes omnis in TE reposita est! Viuas vna cum MATRE CELSISSIMA, MARIA ANTONIA, quae, sicut ipsa artes amat bellas, sic earum gloria longe lateque celebratur! Viuas etiam SAXONVM HEROS, qui tutelam principalem summa cum dignitate geris, tantis fortunae augustissimae incrementis ornatus, quanta gloria rem nostram publicam gubernas atque administras. Salus denique

que ac felicitas totius ALTISSIMAE DOMVS REGIO ELECTO-
 RALIS, coelesti semper communita praesidio, perenni flore
 perduret. Hanc vero diuinae humanaeque sapientiae sedem,
 hanc emendatae religionis et doctrinae vindicem, pariter ac
 nutricem Numen propitium, SALVO PRINCIPE EIVSQUE
 TVTORE, SALVA AVGVSTA DOMO, saluis SAXONIAE re-
 bus, ab omnibus temporum hominumque iniuriis praepoten-
 ti sua cura atque tutela defendat, vt pristina ornamenta re-
 cuperare possit. Maxima perfundar laetitia, si VOBIS, RECTOR
 ACADEMIAE MAGNIFICE, PATRES CONSCRIPTI, VESTRIS-
 que gentibus optima semper adspirarit fortuna. Hoc enim
 officii mihi iniunget recordatio non modo hodiernae huma-
 nitatis, sed et pristini fauoris VESTRI, quo res spesque meas
 ornastis. Sicut Academiam vidistis belli impetu prostratam;
 sic eadem renascente gaudeatis. Sicut molestias exhaustistis
 omnes, quas longa calamitas intulit; sic melioris fortunae
 fructus percipiat longissime, VESTRISQUE curis hoc erudi-
 tionis domicilium reparetis. Ita praeibitis viam, quam stre-
 nue sequar, vt VESTRAM in me voluntatem prolixam me-
 rear, cui me quam commendatissimum volo. VESTRIS au-
 tem literarum studiis, COMMILITONES LECTISSIMI, Deus
 nunquam non laetos atque felices adiungat successus, vt
 quisque VESTRUM aliquando commodis coetus sanctioris
 ac



ac saluti Reipublicae pro viribus inferuire possit. Mihi
 quidem nihil erit optatius, qualibet occasione, VOBIS in-
 feruendi, VESTRAMQUE discendi cupiditatem inflamman-
 di. Vos modo fauete conatibus omnibus, quibus de vo-
 bis bene mereri nitar, operisque coniunctis elaborate, vt
 haec castioris officina doctrinae laetissimo ingeniorum pro-
 uentu rursus efflorescat.



ULB Halle

3


003 770 109



SB







DE
SYSTEMATE CONVENIENTIAE

SEV
IVRE NATVRAE GENTIVMQVE MERCENARIO

EIVSQVE
ANTIQUITATE ET TURPITVDINE

ORATIO

PROFESSIONIS IVRIS NATVRAE ET GENTIVM
EXTRAORDINARIAE ADEVNDAE CAVSSA

CORAM
SPLENDIDISSIMA VENERANDORVM
ACADEMIAE PATRVM CIVIVMQVE GENERE ET
DOCTRINA PRAESTANTIVM CONCIONE
IN ACROATERIO MAIORE

NON. IVN. CIO IO CCLXIII
RECITATA

AB
IOANNE AEGIDIO STRAVCH
FACVLT. PHILOSOPH. ASSESS. ORD. T. T. DECANO

VITEMBERGAE
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII
ACADEMIAE A TYPIS